



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XIV. Idem a Metensi Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

## CAPVT XIV.

Idem <sup>a</sup> Metensi Episcopo.

**E**X litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod cum lator præsentium A. presbyter vellet fœnum de curru deponere, perticam superius alligatam, cum neminem circa currum videret, projecit in terram: & cum fœno insisteret deponendo, quidam prope ipsum accedens, puerum quendam iuxta currum reperit semivivum, in quo præter modicum livoris in fronte nihil invenire potuit læsionis. Nos autem ab eodem quæsivimus sacerdote, si prius quam deiceret perticam, circumspexit sollicitè, an esset aliquis circa currum? qui quod diligenter circumspexit, asseruit: sed quod vidisset aliquem, denegavit. Ad te igitur remittentes eundem, f. t. per A. f. m. quat. si res ita se habet, nisi contra eundem presbyterum grave scandalum sit exortum, vel tantà laboraret infamiâ, quod deficiente accusatore oporteat ei purgationem canonicam indici, ipsum liberè permittas exequi officium sacerdotis.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **M**etensi.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. De Metensi diœcesi egi in cap. 14 de cleric. non resid. Huic decisioni omnino consonat textus in cap. 3. hoc titulo, in 2. collect. ubi Clemens III. in hæc verba similem casum decidit: Scripsisti nobis, fili Decane, & Capitulum, quod cum B. Sacerdos præsentium lator ad petitionem communitatis inducitur, Ecclesie adificationi diligenter intenderet, cum compagem cuiusdam laquearis vetustate attriti dissolvere voluisset, quidam famulus sibi laboranti in auxilium deputatus, licet præmonitus esset, ut ab ipso laqueari secederet, nollexit tamen, & id aure surda præteriens, cum laqueari ruit in terram, & hac occasione postea duobus mensibus. Et tribus diebus ægroians, rebus est humanis exemptus. Cumque super hoc valde tristatus, Autheligi tunc Episcopi vestri mandatum, & consilium requisisset, ipse eum

ad tempus ex abundantia suspendens cautela, deinde habito prudentium consilio virorum duxit restaurandum. Tu verò frater Episcopo, qui nunc Idnensi Ecclesie præses, ipsum voluisti manere suspensum, donec super hoc recepturus consilium, præsentiam nostram adiret. Nos quoque, considerantes, quod idem B. cum daret operam rei licite, secundum quod in jure cautum est, omne studium adhibuit, dicens: Cave frater, ne damnum quodlibet evitaret: attendentes etiam, quod suspensus ad majorem cautelam aliquamdiu fuit, & nunc propter hoc specialiter ad Sed. Ap. veniendo, in persona, & sumptibus propriis laboravit: Consultationi tuæ taliter respondimus, per auctoritatem Ap. mandantes, ut prædictus B. ob hanc causam non impediatur, quominus integrè suo restituatur officio, & cum omni pace permittatur appellatione remota cum integritate beneficii ministrare. Præterea volumus, ut quia prædictus B. proprietatem non habens, pro expensis itineris coactus est pecuniam mutuare, facias ei recompensationem congruam expensarum.

## CAPUT XV.

Idem <sup>a</sup> Bisuntino.

**E**X litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod quidam monachus puer tuæ diœc. ad deponendum de campanili campanam subserviens, quia fortè lignum corruit, ipso momento in Ecclesia sub campanili quendam oppressit puerum, & occidit. Unde à nobis humiliter postulabas, quid tibi super hoc esset faciendum, petens ut cum ipso misericorditer dispenseretur. Quocirca fraternitati tuæ per A. f. m. quat. si monachus ipse rem necessariam agebat, & utilem, & in loco, per quem aliquem transire non crederet, vel ibidem existeret, vel etiam illuc de consuetudine venire, quando lignum movisse dignoscitur, satis poterit, præsertim in monasterio, ad altiores ordines promoveri.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **I**dem Bisuntino.) in tertia collectione, sub hoc titulo cap. 3. tantum legitur Idem de Bisuntina diœcesi nonnulla adduxi in cap. 39. de testibus, & in cap. 14. de accusat.

<sup>b</sup> *Transire non crederet.*) Unde omni culpâ caruit, etsi non proclamavit, juxta textum in l. si putator 31. ff. ad leg. Aquil. 8. item si 5. Instit. de lege Aquil. l. lego 7. ff. ad leg. Cornel. de fisciis. junctis traditis à D. Ioanne Suarez lib. 3. ad leg. Aquil. cap. 6.

CAPVT